



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

Caput III. Sequitur quæstionis pars altera, scilicet an ad dirimendas  
controversias fidei sola Scriptura sufficiat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

## CAPUT III.

Sequitur quaſtionis pars altera, ſcilicet an ad dirimendas controverſias fidei ſola Scriptura ſufficiat.

## SUMMARIUM.

1. Opinio Hæreticorum de S. Scriptura.
2. Hæretica perſpicuitas ſcripturæ una eſt externa, alia interna.
3. Scriptura, Judex, norma, & regula inter ſe diſtinguuntur.

4. 5. & 6. Propoſitio 1. probatur.
7. Effugia Hæreticorum diluuntur.
8. 9. 10. & 11. Propoſitio 2. probatur.
12. 13. 14. 15. Propoſitio 3. probatur.

1.  
Opinio hæ-  
reticorum  
de S. Scri-  
ptura.

**P**OSTREMA verba Auguſtini aperte docent, ſacros, divinarumque rerum plenos libros non eſſe abſque duce & præceptore revolvendos. Hæretici econtra, inquirunt Divinam ſcripturam adeo eſſe apertam ut unusquisque, exigui licet ingenii, dogmata ibidem tradita nullo proponente ac declarante aſſequatur. Sibrandus, & Hunnius alique citati à Jacobo Greſero viro Societatis Jeſu doctiſſimo lib. 111. defen. Bellarm. cap. 1. inquirunt falſo à nobis hoc dogma iſtis hæreticis tribui, cum & iidem fateantur in ſcripturis permulta occurrere ſeitu difficilima, & quæ non idiotis tantum, verum etiam viris doctiſſimis plurimum negotii faceſſant. Sed imperitos ſpecioſis verbis decipiunt homines callidiſſimi. Eſt enim alicubi Scripturam intellectu difficilem fateantur, & donum quoque interpretationis Eccleſiæ prorsus non denegent; nihilominus contendunt dogmata quæque ad ſalutem neceſſaria in ſacris literis contineri, ea obſcura quidem eſſe ſuperbis & infidelibus, non autem humilibus, & qui gratiæ fideique ſpiritu aguntur; hos uno verbi ſcripti præſidio omnia quæ ſunt credenda dijudicare; ſi quid abſtruſum ac perdifficile in uno ſcripturæ textu ob implexam ſignificationem verborum invenitur, illud alio in loco abſque ulla ambiguitate expedite ac dilucide contineri: difficultatem denique, non rerum eſſe, ſed verborum, quibus per Grammaticas inſtitutiones, ac peritiam hebræorum, græcorumque ſyntaxeos expoſitis, adinſtar ſolis nubibus omnibus diſſolutis, catholicam doctrinam ſingulari nitore, nimiaque perſpicuitate aſſurgere. At nos ex adverſo ſolam Scripturam ad controverſias fidei componendas ſatis eſſe, atque res omnes in ea traditas per ſe cuique fidelium apertas eſſe negamus, aſſerentes temere, ac imprudenter ſe gerere quisquis Eccleſiæ auctoritate neglecta arrogat ſibi munus interpretationis, conſugitque ad divinatorum librorum ora-

cula, tanquam ad Judicis definiſſentis tribunal.

2.  
Distinguunt etiam hæretici duplicem Hæretica ſcripturæ perſpicuitatem, externam perſpicuitas unam, quæ ſita eſt in verbi ministerio, Scripturæ una eſt externa, alia interna. & in iplius Scripturæ propoſitione; interiori alteram in ſcrutatione & cognitione fidelium: ac de prima inquirunt, omnia per illam producta eſſe in lucem apertiſſimam; de altera vero fatentur interdum eſſe enthuſiaſmum quemdam, interdum Divinam inſpirationem, ſed ab his, qui ſpiritum Dei non habent, negant vel unum jota percipi poſſe: quo miſero falſitatis perſugio utitur poſt Reformatæ, ut vocant, Eccleſiæ anteſignanos Jacobus Piceninus in Triumph. cap. 2. quem poſt P. Semery, Hyacinthum Tonti, & Cardinalem Vincen-tium Gotti, in Epistolis Polemicis reſutavit Abbas Benediſtus Baccini metho-do brevi, expolita, ac plurimum elabo-rata.

3.  
Ut quaſtionem hanc pro inſtituti noſtri ratione facile diſſolvamus, præno-Scriptura, Judex, norma, & regula inter ſe diſtinguuntur. tandum eſt nos inter ac Novatores con-venire, quod ſacra Biblia tanquam Fidei norma ſint agnoſcenda: ſed illi normam iſtam & Judicem imperite conſundunt; nos unum ab altero diſtinguendum meliori, ſanoque judicio exiſtimamus. Hæreticorum vox una eſt, Scriptura, Judex, norma & regula agnoſcitur, ad quam, ceu ad lydiū lapidē omnia dogmata exigenda ſunt, & judicanda: & Piceninus cap. 13 Apologiæ abutitur ad errorem hunc venditandum auctori-tate S. P. Auguſtini in Pſalm. xxi. n. 30. ubi tamen, quemadmodum animadver-tit Bacchinus 2. Epist. Polem. num. 3. accurate S. P. diſtinguit allata compara-tione litigantium, inter teſtamentum & Judicem, ſive inter judicii criterium, & Judicis ſententiam pronunciantis au-ctoritatem. Auguſtini verba paulo infra in 2. prop. afferuntur. At vetus eſt hæreticorum conſuetudo ad ſolas ſcripturas provocare, easque pro libitu in ſenſum, quem ipſi approbant, detor-quere,

quere, ut S. Pater scribit de Arianis lib. 1. contra Maxim. cap. 1. & de Pelagianis de Nat. & Grat. cap. 39. apud præclarum Ordinis Scriptorem Taddæum Caluschi Mediolanensem in Examine Reformatæ, ut appellant, Ecclesiæ art. 6. Nos itaque Scripturam esse fidei normam, licet non unicam, profitemur, esse normam simul ac Judicem denegamus.

4. PROPOSITIO I. Sacra Scriptura non  
Propositio I. est adeo aperta, & perspicua, ut sola  
ad omnia dogmata definienda sufficiat.

Probatur 1. Hanc assertionem fusiori stylo propu-  
ex Scriptura. gnant omnes Controversiarum Tractatores, Bellarminus lib. 111. cap. 1. & Gretserus in ejus Defensione, Thomas Stapletonus lib. XI. Becanus Opusc. 2. Tom. 5. & in Manual. lib. 1. q. 4. Macedo de Clavibus Script. Controv. 3. alique innumeri. Probatur autem primo Scripturâ ipsâ. Cur enim David fidelis quidem, & humilis, Psalm. cxviii. 18. ait: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua?* & v. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam?* Cur discipulis proficiscentibus in Emaus Lucæ xxiv. 27. incipiens (JESUS) à Moysè, & omnibus prophetis interpretabatur in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Cur Spado Reginae Candacis legens Isaiam, interrogatus à Philippo num lecta intelligeret, Act. viii. 31. respondit, *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Cur inquam, si scriptura, solis instar, se ipsâ unicuique splendescit? Sane reponere non possunt Heterodoxi sanctissimum Davidem, Christi discipulos tristitiâ ob illatam Christo mortem affectos, & loquentes de iis quæ acciderant in Hierusalem, atque Eunuchum discendi cupidum, & sacrorum librorum cultorem, fuisse superbiam tumidos, & omni fide destitutos. Neque regerent perculos tantum difficultate verborum; cum linguam callebrent hebraicam, neque hujus, sed latentium mysteriorum poscerent expositionem. Insuper nec externam revelationem & ministerium verbi petebant, cum non semel hanc nacti fuissent, sacrosque libros haberent præ manibus. Qua ergo via hæretici se expedient? Num dicent Davidem, Eunuchum, Discipulos nondum in fide corroboratos? At de Davide hoc sentire non licet. Spado vero, & Discipuli, quamquam non omnia completæ Redemptionis mysteria firmiter percepissent, attamen sacram scripturam esse verbum Dei fatebantur. Cur hanc recipientibus Prophetarum oracula non fuerunt aperta?

Ac si in fide nutantibus plura apparent ambigua, hi quomodo ad fidem pertrahentur? Ministerio verbi? istud nondum assequuntur. Interna revelatione? hæc enthusiasmus est, ac non semel, fauentibus hæreticis, fallax deceptio. Dicent forte scripturarum perspicuitatem apparuisse tantummodo post promulgationem Evangelii, & adventum Spiritus sancti? Neque id solidi crepat aliquid. Nam in veteri testamento, si scriptura, solis instar, se ipsâ discernitur, ministerio verbi proposita debebat singulis illucescere. Præterea ex verbis Pauli 2. ad Corinth. 111. 15. *usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum;* atque ex Petro scribente 2. Epist. 111. 16. de Epistolis Pauli, *In quibus sunt quædam difficultia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas,* liquet etiamnum perseverare, nisi aliud lumen adhibeatur, antiquam Scripturarum obscuritatem.

Probatur 2. ex PP. Atque, ut mittam  
Clem. Alex. lib. 2. Strom. cap. 6. Origen. Probatur 2.  
Hom. 12. in Exodum, Basilium Epist. 75. ex Patribus,  
ad Neocæsarienses, & alios, quos improbo labore collegit Coccias; S. P. Augustinus, quo præsertim abutuntur hæretici, Præf. in Psalm. cxl. scribit: *Sunt in scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quærentur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Et in 2. de Doctrina Christi. cap. 6. *Sed multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur non inveniunt, ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum esse divinitus non dubito ad edomandam laborem superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.* In Epistola quoque ad Volusianum 111. nunc cxxvii. ait: *Tanta est enim Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Quid Patres commemoro? Ipsi hæretici parum sibi constantes hanc veritatem confessi sunt: nam Lutherus Præf. in Psalm. ait: *Scio impudentissima esse temeritatis eum, qui audeat profiteri unum scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.* Witakerus q. 4. cap. 1. *Concedimus multa loca obscura esse, & scripturas egere explicatione, & ob hanc*

cauſam miniſtros Dei audiendos eſſe, & ſcripturæ peritiſſimos eſſe conſulendos. Brentii & Kemnitii antilogias vide apud Bellarm. cit. loco.

6. Tertiò reſelluntur hæreticorum ſup-  
terfugia. Inquiunt enim obſcuritatem  
ſcripturarum verborum eſſe, non rerum.  
At Auguſtinus citata ad Voluſianum  
Epiſtola, inquit: *Tanto non ſolum in  
verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum  
etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt,  
latet altitudo ſapientia, ut annoſiſſimis,  
acutiſſimis, ſagrantiffimisque cupiditate  
diſcendi hoc contingat quod eadem Scri-  
ptura quodam loco habet: Cum conſum-  
maverit homo, tunc incipit.* Deinde  
in eo Evangelii teſtimonio, in cujus  
intelligentia nunquam Lutheri, & Cal-  
vini diſcipuli convenire potuerunt, *Hoc  
eſt corpus meum*, quodnam verbum ob-  
ſcurum eſt? quidnam pronominè illo  
uſitatus? quæ propoſitio hac planior?  
cujus vocabuli magis, quam corporis,  
explorata perceptio? Myſterium itaque  
Eucharifticum, non verborum involu-  
cra, deterret Calvinianos. Eadem eſt  
ratio verborum illorum, *Verbum caro  
factum eſt*, quæ in oppoſitum ſenſum  
trahunt Neſtoriani, & Eutychniani. Un-  
denam, niſi ex Myſterii altitudi-  
ne, illorum hæreticorum hallucinatio? Apo-  
ſtolicam quoque ſententiam, *Arbitramur  
juſtificari hominem per fidem*, quis dixe-  
rit involvi difficultate tantum gramma-  
tica? Et tamen quid ſit hæc fides, quid  
hominis juſtificatio, quid ad hanc re-  
quiratur, graviffima quæſtio eſt, in qua  
nobifcum, & invicem Novatores pu-  
gnaciffime bellum gerunt. Omittimus  
alia iſtiusmodi innumera. Affirmant  
præterea hæretici unum ſcripturæ tex-  
tum ex alio innotefcere. Sed quid agen-  
dum erit, cum plures invicem videbun-  
tur pugnare? Si expendamus utrum-  
que, creſcat neceſſum eſt hæſitatio: ſi  
unum duntaxat locum excipiamus, &  
viget adhuc mentis perplexio, & ſacri-  
lege Dei verbum repudiatur. Quo in-  
ſuper jure unum locum alteri præfere-  
mus? Tandem inquiunt veritatis lucem  
humilibus affulgere: ſed quomodo no-  
bis perſuadeamus fiduciam illam ab He-  
terodoxis jactatam non eſſe audaciſſi-  
mam temeritatem, nec ſpiritus humili-  
tatis vicem gerere ſpiritum cœnodoxiæ,  
affirmante Apoſtolo non ſingulis in Ec-  
cleſia datam eſſe diſcretionem ſpiri-  
tuum? At de his paulo infra.

7. Probat 3.  
ratione. Poſtremo, niſi Deus ſcripturæ inter-  
pretationem commiſſet Eccleſiæ illam-  
que omnium menti lucidiſſimam, aper-  
tiſſimamque exhiberet, quisnam inter  
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

paſtorem, & gregem diſcerneret? quo  
jure idem Apoſtoloſ in 1. ad Corinth.  
affirmaſſet non omnes doctores eſſe,  
non omnes interpretes? quis non poſſet  
ſibi arrogare munus docendi, Apoſto-  
licam miſſionem, onus preſbyterii,  
Evangelistarum ſanctorumque miniſte-  
rium? Audent quidem tantum facinus  
hæreticorum complures; ſed reclamant  
eo loci, cap. xi. 29. Apoſtoloſ: *Nun-  
quid omnes Apoſtoli? nunquid omnes  
Propheta? nunquid omnes Doctores:  
nunquid omnes virtutes? nunquid omnes  
gratiam habent curationum? nunquid  
omnes linguis loquuntur? nunquid omnes  
interpretantur?* Nota & corporis mem-  
brorumque, quæ ſimul juncta ſunt, ibi-  
dem traditam comparationem: ut enim  
tolleretur auditus, ſi totum corpus eſſet  
oculus, & corporis diſſumeretur com-  
pago, ſi omnia membra haberent eun-  
dem actum; ita abjicitur verbi miniſte-  
rium, ſi omnes ſcripturam percipiant,  
& ſcinditur unitas Eccleſiæ, ſi unicui-  
que detur eadem interpretationis aucto-  
ritas. Quamobrem hæc ſupremis Pa-  
ſtoribus collata eſt, *Et Deus temperavit  
corpus, ei, cui deerat, abundantiore  
tribuendo honorem, ut non ſit ſibiſma in  
corpore*, inquit ibidem Paulus. Revera  
nulla ſecta hæreticorum ſibi de Scri-  
pturarum perſpicuitate blandientium  
potuit hætenus tenere unitatem; quo-  
niam iſte ad hunc ſenſum, ille ad alte-  
rum eadem verba detorquens, dogma-  
ta pro libitu unusquisque ſubvertit. Ad  
Eccleſiæ ordinem accedit ejusdem Divi-  
næ ſcripturæ dignitas, quæ poſtulat ut  
fidei myſteria absque arrogantia credan-  
tur, & Dei oracula aſſiduâ contempla-  
tione verſentur. Ita illuſtriores poëtæ,  
& philoſophi præſtantiſſimi fabulas, &  
naturæ ſcientiam, ne vulgata vileſce-  
rent, peregrina phraſi, ac mirabili ar-  
tificio obducere ſtuderunt. Ne repe-  
tam Auguſtini alloquium; ipſe Luth-  
erus morti proximus, ut refert Aurifa-  
ber, *Virgilium in Bucolicis*, inquit,  
*non poteſt intelligere, niſi qui fuerit quin-  
que annis paſtor: Virgilium in Georgi-  
cis non poteſt intelligere, niſi quinque  
annorum agricola: Ciceronem in Epiſto-  
lis non intelligit, niſi viginti annis ver-  
ſatus ſit in aliqua Republica inſigni. Scri-  
pturas ſanctas ſciat ſe nemo deguſtaſſe,  
niſi centum annis cum Elia, Eliſæo,  
Joanne Baptiſta, & cum Chriſto &  
Apoſtoliſ Eccleſiam gubernarit.*

8. PROPOSITIO II. Judicium de fidei  
quæſtionibus nequit ex ſolis ſcripturis  
repeti, ſublata vivi Judicis auctori-  
tate.

LI

De

**Probatur 1.** Demonstratur 1. quoniam potest in quaestionem venire ipse canon scripturarum hæc autem quaestio quomodo è sacris literis componi poterit? Sit impius aliquis, qui utrumque testamentum repellat, per quam alterius Testamenti auctoritatem poterit controversia ista resolvi? Pervulgatum est hoc argumentum, allatumque à Cano lib. 11. cap. 7. & ab aliis. Sed accipe quanto verborum pondere illud urgeat Augustinus lib. x1. contra Faustum cap. 2. *Si non de aliqua particula, sed de toto audies contradicentem & clamantem, Falsus est: quid ages, quo te convertes? quam libri à te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conaberis, & nihil valebis; & vides in hac re quid Ecclesiae Catholicae valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad bodiurnum diem succedentium sibi met Episcoporum serie & tot populorum consensione firmatur.* Ratione consimili si de autographia unius libri, aut unius textus oriatur contentio, neque occurrit in alio libro, puta Historiam Susannæ, aut Adulteræ; undenam componi poterit hæc disceptatio? Si præterea à disputantibus varii textus citentur, & unus neget alterius auctoritatem, & dicat, *Illud quod per te sonat falsum est,* (inquit ibidem Augustinus) *hoc autem quod contra te est, verum est;* quò adversarius confugiet? Contendat insuper aliquis recipiendos in canone libros apocryphos, aut ab hæreticis confictos, ut inductos à Basilide Prophetas, Bartholomæi, & Nicodemi Evangelia; aut à nonnullis Patribus commendatos, ut Hermam, Epistolam Barnabæ, Apocalypsim Petri, qua scriptura commonstrante hos inter apocrypha scripta rejiciemus? Detur præterea antiquiorum librorum autographiam comprobare testimonio posteriorum: hos quorum auctoritate adversus impios possumus vindicare? Quaestio itaque de canone scripturarum, nisi ad iudicium Ecclesiae confugiatur manebit semper ambigua. Atque hinc est, quod Athanasius in Synopsi rationem asserens, cur non recipiamus Evangelium Thomæ, respondet, *Quia non est in Catholico canone.* Et S. Pater lib. 1. serm. Dom. in Monte cap. 3. scribit à nobis censeri apocrypham Apocalypsim Pauli, quoniam illam *Ecclesia sana non recipit.* Econtra libros Machabæorum, aliosque ab hæreticis rejectos ipsius Ecclesiae auctoritate retinemus, juxta regulam S. P. Augustini lib. 11. de Doctrina Christ. cap. 8. & lib. xviii. de Civit. Dei c. 36. Accedit in hujus argumenti confirmationem, quod No-

vatores aliquos veteris testamenti libros rejiciunt, quia non extiterunt in canone Judæorum, ideoque non ad sacrarum literarum iudicium, sed ad Synagogæ tribunal, ut discernant sacrarum librorum auctoritatem, confugiunt, non denegantes Ecclesiae Judæorum quod temere negant Catholicæ, & Orthodoxæ. Adversus nos etiam obijciunt quod recipiamus libros ab Ecclesia priorum sæculorum nequam probatos, à se vero omnes illos retineri, quos ante magni Gregorii tempora Ecclesia ipsa probabat, ut Piceninus ait in Triumpho cap. 2. num. 26. Vel Ecclesia hujus controversiæ Judex est, vel non est. Si primum affirmant cur ad solam scripturam nos provocant? Si Ecclesia caret judicandi auctoritate; quid ad veterem Synagogam, quid ad Ecclesiam priorum sæculorum appellant?

Deinde probatur thesis, quia potest institui disputatio circa intelligentiam unius Scripturæ textus, quem utraque pars contendat diversum habere sensum. Sit in exemplo, *Hoc est corpus meum;* quæ verba proprie & literaliter accipiunt Lutherani, Calvinistæ autem figurative, & symbolice: aut hæc alia, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti,* quæ Anabaptistæ de solis adultis, alii de omnibus promiscue accipienda esse docent. Si ex sola Scriptura hæc controversia dirimitur: quare hæretici eundem sensum non assequuntur? quare idem dogma unanimiter non propugnant? Si allati textus ambigui sunt, cur non proferuntur alii tam expressi, & aperti, ut pars contraria acquiescat? At etiam si proferrentur, nonne responderet Adversarius, ut Fausto Augustinus lib. x111. cap. 4. *Quomodo ille, cui non credo profert mihi scripturas, quibus de illo credam; & eis ipse conatur dare auctoritatem, cum ego ipsi non credam?* Quomodo, inquit Calvinista, assertit adversus me Lutheranus Divinam Scripturam, qua ipsi credam, si ipse scripturæ sensum non percipit? quomodo conatur illam explicare, si mihi obvia est opposita interpretatio? Similia reponet contra adversarium suum Lutheranus. Atque ita, si talis judiciorum forma præscribatur, ut nullum præter ipsam scripturam iudicium expectandum sit, nullus litigiorum finis erit, & quemadmodum comprobatur experimentum, perpetuo dissidia inter Heterodoxos crudefcant.

Accedit tertium argumentum. Distingendum quippe est, ut possint utrinque litigantium rationes audiri, Judex, & Norma. Sit in exemplo, dum

9.  
Probatur 2.

10.

Probatur 3.

con-

condito teſtamento, ac viro defuncto, qui de hæreditate diſpoſuit, propinqui nequeunt ad concordiam revocari, norma quidem ad litem dirimendam ſunt tabulæ à Notario conſcriptæ, ſed neuter jure bona teſtatoris acquireret, ſi unus aut neget producta inſtrumenta, aut ex his petat cauſæ ſuæ patrocinium, neque ſit vivus Judex, qui expendat pugillaria, audiat diſſidentes, & ſententiam pronuntiet. Ita poſt Chriſti mortem intentarunt nobis litem ad hæc uſque tempora hæretici, nec fuit eorum quiſpiam, qui teſtamentum, ſacram ſcilicet divinamque Scripturam non proferret; hanc & nos tanquam Dei teſtamentum recipimus, hanc normam fidei, & veritatis regulam eſſe fate- mur. At quomodo poterit dignoſci, ad quos pertineat hæreditas, ad quos ſpectet Eccleſia, ad quos cuſtodiendum fidei depositum, ſi proferentibus nobis libros aut Sapientiæ, aut Eccleſiaſtici, aut Machabæorum, reſpondent Sectarii, Non eſt teſtamentum Domini; aut promentibus Evangelia, reponunt aliam eſſe mentem Teſtatoris? Judicis vivi ſententia neceſſaria eſt, qui decernat ſacrorum Codicum germanitatem ac ſenſum. Appoſite Auguſtinus in Plalmum XXI. num. 30. *Quare litigamus? Non inteſtatus mortuus eſt Pater: fecit teſtamentum, & mortuus eſt. Tandiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu teſtamentum proferatur in publicum; & cum prolatum fuerit, tacent omnes: ut tabula aperiatur, & recitentur.* JUDEX intentus audit, advocati ſedent, univerſus populus ſuſpenſus eſt, ut legantur verba mortui. Nota halucinationem Picenini ex hoc loco, ut diximus, probantis ſcripturam eſſe controverſarum omnium normam, & judicem; cum Auguſtinus tam aperte Judicem à teſtamento, ſecernat.

11. Probatur 4. Comprobatur Catholica veritas even-  
tuum. In veteri namque lege, quis-  
nam, niſi ſummus Pontifex controver-  
ſias dijudicabat? Non ad mortuos codi-  
ces remittebantur diſſidentes, ſed ad  
Sacerdotes Levitici generis, & ad Ju-  
dicem, qui erat illo tempore, Deut.  
xvii. 8. Mentiuntur autem Sectarii,  
dum ajunt ad Sacerdotes non ſpectaſſe  
judicium de controverſis fidei, ſed tan-  
tum de legalibus. Eorum quippe erat  
pronuntiare. *Ubiunque quaſtio eſſet  
de lege, de mandato, de ceremoniis, de  
juſtificationibus.* 2. Paralip. xix. 10.  
Ipſe Herodes congregans principes Sa-  
cerdotum, & Scribas populi, Matth. 11.  
3. ut ſciſcitaretur de loco, ubi nati-  
tus

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

rus erat Meſſias, redarguit perſicaces,  
qui ajunt Sacerdotes nonniſi de ritibus  
ac ceremoniis protuliſſe judicium. Jo-  
ſephus in 2. adverſus Appionem ait:  
*Omnium rerum inſpectores, & contro-  
verſarum Judices conſtituti ſunt Sacer-  
dotes.* Vide Levit. x. 10. Ez. xlv. 23.  
& Malach. 11. 7. Si ad hiftoriam novi  
teſtamenti mentem convertamus, orta  
quaſtione de neceſſitate circumciſionis  
Act. xv. circa annum 49. Ae. V. An-  
tiocheni non appellarunt ad Scripturam,  
ſed ad Apoſtolos, qui tum temporis Je-  
roſolymis morabantur: atque hi coacto  
Concilio ſe illius controverſiæ idoneos  
Judices declararunt, dicentes: *Viſum  
eſt Spiritui ſancto, & nobis,* verſu 28.  
Eadem judicii forma, non ad Scriptu-  
ram, ſed ad Eccleſiam appellando, an-  
no 198. finita eſt cauſa Quartodecima-  
norum. Simili judicio damnati anno  
255. Novatiani, anno 266. in Concilio  
Antiocheno Samolaſenſes anno 325. in  
Synodo Nicæna Ariani, anno 431. in  
Ephesine Neſtoriani. Quid ſingulas re-  
petam controverſias? Nulla hæreſis per  
ſolam Scripturam damnata eſt, nulla  
cauſa finita, nulla diſceptatio absque  
vivorum judicum ſententia, & exami-  
ne, terminata.

PROPOSITIO III. Non eſt idoneum  
judicium, quod ſit ex privato ſpiritu,  
& interiori cujuſque fidelis perſuaſione.

Demonſtratur primo: Incertum eſt, Probatur 1.  
num ſpiritus iſte privatus ſit à Deo: &  
quamvis nonnunquam donum interpre-  
tationis ſit alicui collatum, ut de An-  
tonio ſancto, perfectoque Aegyptio Mo-  
nacho in Prolog. lib. 1. de Doct. Chriſt.  
ſcribit S. P. Auguſtinus, nullus habet  
proprii ſpiritus certam, exploratamque  
perſuaſionem, & qui hanc ſe habere  
præſumit, inſigniter inflatus eſt, ac ſu-  
perbus. Eſſe enim Prophetas, qui ſe-  
quuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident,  
affirmat Ezech. xlii. 3. eum, qui lo-  
quitur mendacium, ex propriis loqui,  
quia mendax eſt & pater ejus, inquit  
ipſa Veritas, Joann. viii. 44. atque in  
corpore Eccleſiæ omnibus à Spiritu, qui  
ubi vult ſpirat, non dari interpretatio-  
nes ſermonum, ſcribit Paulus in 1. ad  
Corinth. xii. 28. 30. Spiritum autem  
hæreticorum non ſolum ob hanc ratio-  
nem incertum eſſe probatur, ſed etiam  
eſſe ſpiritum mendacii, præſumptionis-  
que ſacrilegæ, cum ſibi temere attri-  
buant, quod Chriſtus nonniſi ſupremis  
Eccleſiæ rectoribus repromiſit. Teſtem  
appellamus illius incertitudinis Zwin-  
glium, qui in Lutheranis palæſtris edo-  
ctus ad Sacramentarios circa doctrinam

L 1 2

Cœnæ

Coenae defecit, alio spiritu interpretatus verba consecrationis; monitoremque habuit in somniis, de quo ipsemet scribit in *Subsidio de Euch.* non meminisse, *ater is fuerit, an albus.* Præsumptionis vero exemplum singulare tribuit Lutherus scribens initio libri contra Regem Angliæ, *Natum se spiritum insignem contemptorem tam fraudis, quam furoris Papistici.* Et quodnam majus præsumptionis indicium, quam sibi arrogare auctoritatem interpretandi Scripturam, illamque auctoritatem Romano Pontifici, & plenariis Synodis denegare? Interpretatio itaque facta privato spiritu, tanquam ambigua, fallax, & temeraria debet esse suspecta. Ac licet fieret Divino spiritu afflante, non esset tamen ad faciendam fidem idonea, nisi accedente Ecclesiæ comprobatione: nam & Paulus Evangelium acceperat per revelationem Jesu Christi; & nihilominus illud cum Apostolis contulit, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset*, ut ipse scribit ad Galatas II. 2. scilicet, *ne secundum illos credidisset, & ne secundum illos evangelizaret*, ait in IV. contra Marcionem Tertullianus etiam à Grotio laudatus. Quare S. P. Augustinus lib. XXVII. cap. 4. contra Faustum, *Quis est ergo tam demens*, inquit, *ut credat nescio cui ex transverso de Perside post ducentos & amplius annos venienti . . . . cum ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de caelo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet?* Atque hujus argumentationis hæc summa est: Spiritus privatus aut est spiritus mendacii, aut veritatis: si mendacii, idoneus non est ad rectum judicium pronuntiandum: si veritatis, suam, ab Apostolica Ecclesia postulat dijudicationem, nisi sui causâ, illorum saltem, qui sunt instruendi; ideoque nullatenus privatus ille spiritus est ad formandos dirigendosque fideles sufficiens.

13. Deinde privatus ille spiritus, vel omni-  
**Probat** 2. bus communis est, vel peculiaris. Si communis est, cur non conveniunt in singulis fidei dogmatibus Heterodoxi? cur ea verba *Hoc est corpus meum*, in tam diversas sententias distrahant? cur Saxonicæ Lutherani in Colloquio Altemburgensi an. 1568. judicium Melancthonis respuerunt, Electorales Melancthoni subscribunt? Privatus est ergo ille spiritus, & qui eo ducuntur, pro-

prio innituntur judicio, neglectis aliis. At quis non videt idem esse huic spiritui fidem subternere, & libertatem unicuique facere illud, quod magis libet, comminiscendi? Et quidem nonne quod libuit commentus est Lutherus, quod libuit Zwinglius, quod libuit Osiander, quod libuit hæretici omnes? Rectissime agebat de Præscript. Tertullianus, *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare*: meritoque Staplet. lib. x. c. 4. hanc hæreticorum de privato spiritu assertionem comparat opinioni Socratis, unde Sectatores, ut scribit Augustinus VIII. de Civit. Dei cap. 4. *quod cuique placuit, sumpserunt.* Præterea ille spiritus, cum privatus sit, erit humanus; & revera Divinus esse nequit, qui diversis diversa dicat, inspiratque dogmata omnino pugnantia. Quomodo ergo mihi persuadebunt hæretici idoneum esse judicem hunc spiritum humanum, subdolum, multiloquum, dum ipsi audent asserere obnoxium errori spiritum totius Ecclesiæ, hæc tantum de causa, quod humanum putent, & hominibus insidentem? Rursus si incertus sum hunc Scripturæ sensum esse intentum à Deo, cur incertus non ero hunc spiritum privatum à Deo inspiratum esse? Quænam habet validiora argumenta, quænam ampliora veritatis indicia sensus metaphoricus, quem Calvinus affricat verbis consecratoriis, quæ non habet spiritus quo idem Calvinus sensum illum præfert & approbat? At si utrumque incertum est, quomodo per spiritum privatum Scripturæ sensum dijudicabo, incertum scilicet per incertum? Si certam persuasionem requiras, hanc hæretici omnes Calvino adversantes jactabunt: si velis spiritum esse humilibus precibus petendum, se petiisse respondent: si firmissimam fidem exigas, ajunt omnes se credere. Qualem ergo hæreticorum spiritum, dum in contrarium sensum Scripturam trahunt, censeas alteri præferendum? Ad hæc privato illo spiritu carent proculdubio infideles; nam si hi spiritu recto ducuntur, nihil erit tam sacrilegum & nefarium, quod non sit patratum spiritu sancto inspirante. Infidelis ergo quomodo ad fidem perducitur poterit? Prædicatione, inquis, & Scripturarum sanctarum lectione: at dum audit, vel legit credendum esse Deum in Personis Trinam, & Dei filium natum ex Virgine, crucique suffixum, hærebit animo neque tam reconditam doctrinam assequetur. Ipse enim privato spiritu caret.

ſi verum eſt per illum dirigi ſolam mentem perfecte credentium. Itaque ut credat, poſtquam certis indiis veram Eccleſiam detexit, debet ſe imbuendum ac dirigendum illius auctoritati committere. Paucis hæc omnia complectar: Privatus ſpiritus humanus eſt, fallax, errori obnoxius, multiloquax, non communis, non ſibi conſtans, ſed mortaliſimum opinioni ſe attemperans, varius, levis, diſſenſionis pleniffimus; ideoque non ad componendas controverſias conducit, ſed ad magis ciendas, atque implicandas.

14. Inſuper ſapienter ſcriptum à Baſilio  
 Probatur 3. Epift. ad Neocæſarienſes, *Oportet, ut eadem ſint animi induſtria præditi, & qui alienas ſcripturas judicaturus eſt, & qui illas conſcripſit*: idque S. Doctor probat, quoniam nec de agrorum cultura poteſt judicare qui nunquam exercuit munus agricolæ, nec de rythmis, notisque muſicis, qui mathematicis non fuit imbutus. Scripturæ ergo aſſante Divino Spiritu editæ, nonniſi Spiritus ſancti diſſuſo lumine poſſunt intelligi. Forte id non denegabunt hæretici, ſed quomodo nobis perſuadeant privatum ſpiritum eſſe Spiritum ſanctum? Hoc etiam Pſeudoprophetæ audacter præſumunt. Oportet ergo, demonſtrent ſe non eſſe Pſeudoprophetas, ut privatum ipſorum ſpiritum comprobemus: quod nunquam propriæ perſuaſionis teſtimonio poterunt demonſtrare. Hinc Petrus 2. Epift. 1. 20. ex quo Prophetæ locuti fuerint Spiritu ſancto inſpirati, inſert propheticam ſcripturam non eſſe privato ingenio exponendam. *Omnis prophetia ſcripturæ*, inquit, *propria interpretatione non fit*, monetque eo loci à Pſeudoprophetis cavendum. In hoc Petri teſtimonio ea verba *Propbetia ſcripturæ* ſignificant ſcriptorum prophetiarum, ſeu verbi Divini expoſitionem, ut ad Ro. xii. 7. prima ad Corinthios xiii. 8. 1. Ad Theſſalon. v. 20. nec videtur proprie per *Propbetiam ſcripturæ* ipſam ſcripturam propheticam, non ſcripturæ explicationem ſignificari, ut in hunc locum obſervat Eſtius; nec vocabulo *Επίδοξος*, quamvis in-

terdum alia ſignificentur, melius & in ſacris literis frequentius aliud demonſtratur, quam interpretatio & expoſitio. Itaque allati teſtimonii ſenſus eſt, *Scripturæ ſacre explicatio propria interpretatione, ſive privata doctrina & auctoritate non fit*: ut inquit Eſtius, & Tirinus in hunc locum, Bacchiniuſ Epift. 2. num. 4. Quod etſi *Propbetiam ſcripturæ* intelligamus eandem ſcripturam propheticam, ſenſus erit nullam ſcripturam exponendam eſſe privato ingenio; qui ſenſus confluet in præcedentem. Non ſunt ergo Scripturæ privato ſenſu interpretandæ, ſed exponendæ eo ſpiritu, quo ſcriptæ ſunt, ſpiritu nempe Divino, quem Chriſtus promiſit Eccleſiæ.

Denique hæretici ſuorum teſtimonio poſſunt revinci. Henricuſ enim VIII. Anglorum Rex anno 1540. decrevit neminem præter Eccleſiæ Doctores poſſe Scripturas interpretari, inſinuitque populo ne illas exponere, aut ex illis ratiocinationes inferre auderet. Videatur Boſſuet in Hiſt. Variat. lib. viii. num. 64. Zwingliuſ ad refellendos Anabaptiſtas lib. 1. de Baptiſmo p. 72. demonſtrat non ad illos, ſed ad Eccleſiam ſpectare ſcripturarum expoſitionem. Idem ſcribit Buceruſ in Rat. can. exam. pag. 223. Cur demum hæretici ad controverſias dirimendas non ſemel Synodos coegerunt, ſi unusquiſque à proprio, privatoque ſpiritu debet dirigi? Reſpondere nequeunt ad Synodum convenire ad ſtatuendam Eccleſiaſticam diſciplinam, non ad dogmata definienda; nam Synodus Jenenſis habita fuit adverſus Zwinglianos, Dordrectana contra Arminianos, Carentonenſis contra Calvinianos: & in ſingulis Novatorum conventibus actum de Euchariſtia, de Baptiſmo, de Juſtificatione, cæterisque graſſantibus controverſiis. Quid etiam definiunt, niſi fidei dogmata, tot Confeſſiones ab hæreticis divulgatæ? Ipſi ergo velint, nolint, præter Scripturam, & privati ſpiritus perſuaſionem coguntur vivum Judicem adire, quem nullibi invenient, niſi in viſibili, & Apoſtolica Eccleſia.

15.  
 Probatur 4.

## C A P U T IV.

Explicantur Scripturæ loca, quibus ad veritatem oppugnandam abutuntur Sectarii.

## S U M M A R I U M.

1. Uſque 12. Solutio obſectionum Hæreticorum.

L 1 3

At